

## Catullus 14B, 16, 41, 43, 55, 58B: Adnotationes criticae<sup>\*)</sup>

Konrad M. Kokoszkiewicz

Warszawa, Poland  
[draco@obta.uw.edu.pl](mailto:draco@obta.uw.edu.pl)

### Abstract

Several conjectures to the following poems of Catullus are considered: 14b, 16, 55, 58b, along with critical notes on the transmitted text and the style used. A brief remark on poems 41 and 43 is also included. The main goal of the article is to present versions of poems 16 and 55 emended according to the conjectures and other proposals mentioned above.

### Keywords

Catullus, textual criticism

### 1. De fragmenti 14b loco proprio deque Auantio defenso et item reprehenso; atque de horum uersuum ratione excidendi

Si qui forte mearum ineptiarum  
lectores eritis manusque uestras  
non horrebitis admouere nobis

Tres hendecasyllabi, qui in libris manu scriptis apparent inter carmen 14 et 15, accipiuntur uolgo tamquam sint fragmentum longioris carminis, quo Catullus *ineptiarum* suarum, uersiculorum scilicet, libellum

---

\*) Cum haec scriberem, magno mihi adiumento erant Prof. Mikołaj Szymański et Dr. Włodzimierz Olszaniec, quibus pro consiliis salutaribus et colloquiis utilibus ingentes debeo gratias. Nec minus me adiuuit doctrix Beata Spieralska, cui ipsi quoque hic et nunc gratias ago, quod librum inuentu difficilem mihi commodauit.

incohauerit. Postea carmen illud, cum liber, quem habemus, componeretur, nescio quo pacto locum mutasse et post carmen quartum decimum collocatum esse nec non, dum id fieret, magnam partem amisisse dicitur. Sic quidem Thomson (1998) et alii. Quin Goold (1983) hendecasyllabos duos subscripsit, ut uersiculum suppleret.

Attamen una tantum pars huiusce commentationis mihi quidem probabilis uidetur, ea nempe, qua tres illi uersus contenduntur esse carminis longioris fragmentum. Sunt enim quaedam impedimenta, ne cetera pro certis probentur. Vt scripsit ipse Thomson (1998), cum locum istius carminis priorem disputat, “why it should have moved from that position to its present place, is hard to explain”. Ego item nequeo, quin dubitem, an Catullus uel per modestiam scripserit uerba, quibus se tamquam credere ostenderet lectores posse *horrere admouere manus* ad (ut uolgo intellegitur) libellos suos, quasi se putarit—aut lectores uoluerit sic credere—Volusiorum nescio quem. Aliud enim est dicere, quod dici solet, ‘habe’ scilicet ‘et uoluptatis causa lege nugas, quas ego uoluptatis causa scripsi’, at ‘habe et lege, nisi horres’—longe aliud.

Denique haud praetereunda sunt uerba, quae Thomson (1998) posuit in principio commentarii: “whether the poem (sc. 14b), which was probably intended to be short, was ever completed, is impossible to say”. Quibus ex uerbis nequeo, quin colligam uiros doctos quasi tacito consensu credere ea, quae nobis libri manu scripti tradiderint, esse Catulli inedita, in quibus carmina incohata quidem, sed numquam absoluta inueniantur. Quod tamen haudquaquam est probabile, multo autem probabilius est Catulli opuscula, ut omnium fere aliorum poetarum, esse absoluta atque edita in lucem. Nihil est prorsus, mea quidem sententia, quod nos compellat, ut aliter censeamus.

Hoc loco disputare uelim aliud propositum, quod est, censeo, non solum consideratu dignum, uerum etiam multo plausibilius, quod non compellit grammaticos, qui rationem carminis 14b explicent, ut praesumant tot incredibilia.

Auantius in editione Catulli, quam anno 1502 prelo subiecit, cum fragmentum 14b ad carmen sextum decimum pertinere uidisset, conatus est ea in unum coniungere. Quod ut faceret, fragmentum 14b post uersum 13 subiunxit, atque *qui* ita commutauit, ut esset *qua*.

Vos, qui milia multa basiorum  
 legistis, male me marem putatis?  
 Si qua forte mearum ineptiarum  
 lectores eritis manusque uestras  
 non horrebitis admouere nobis,  
 pedicabo ego uos et irrumabo. 15

*Si manus uestras non horrebitis admouere nobis* aliam nunc prorsus rem significat ac 'admouere manus ad libellum', legendi scilicet gratia. Catullus monet, prohibet, imminet, manus lasciuiae uirorum ne admoueantur sibi.

Sed enim id, quod Auantius uoluit, comprobari non potest, hanc imprimis ob rem, quod tribus iis uersibus (14-6), qui de 14b sunt huc translati, nequit Catullus alloqui Aurelium cum Furio; hi enim fuere iam 'lectores ineptiarum', non autem 'erunt'; ergo *si qua forte lectores eritis* sensu caret, hac quidem tenus, qua pertineat ad Furium et Aurelium. Atqui ad neminem alium, sic ut positum est, pertinere queat. Quod argumento est, ut puto, haud parui momenti, quo Auantii coniectura reprehendatur.

Animaduertendum tamen est illud *qua* esse Auantii coniecturam in eo factam, ut hoc uerbum conueniret cum *forte*. Quo tamen loco, ut scimus, libri nostri habent *qui*. Quod est multo utilius ponere (seu potius retinere) eo loco, quo Auantius ponebat illud *qua*:

Pedicabo ego uos et irrumabo  
 Aureli pathice et cinaede Furi,  
 qui me ex uersiculis meis putastis,  
 quod sunt molliculi, parum pudicum.  
 Nam castum esse decet pium poetam 5  
 ipsum, uersiculos nihil necesse est;  
 qui tum denique habent salem ac leporem,  
 si sunt molliculi ac parum pudici,  
 et quod pruriat incitare possunt,  
 non dico pueris, sed his pilosis, 10  
 qui duros nequeunt mouere lumbos.  
 Vos, qui milia multa basiorum  
 legistis, male me marem putatis?  
 Si qui forte mearum ineptiarum

lectores eritis manusque uestras  
 non horrebitis admouere nobis,  
 pedicabo ego uos et irrumabo.

15

*Qui*—nominatiuus pluralis pronominis qui, quae, quod—significat Catullum non iam alloqui Furium et Aurelium, sed ceteros eos, qui aliquando lectis ‘ineptiis’ Catullum ‘male marem esse’—id est pathicum—*putabunt*. Eis imminet, ne audeant porrigere lasciuam manum ad sese, pariter ac Furio et Aurelio (cf. 1), qui iam hoc uidelicet ausi sunt.

*Ego* in uersu septimo decimo nunc positum esse uidemus non solum in eo, ut uersus ultimus repeteret primum, uerum etiam grammatica et Catulli more solito scribendi fulciri. Vt enim in commentatione de Catulli carmine sexto olim demonstrabam,<sup>1)</sup> Catullus pronomina personalia, ut hoc loco est, superuacua, ponit in sententiis obliquis, ubi praedicatum in alia persona stat ac praedicatum principale; quod obseruatur et hic: *qui manus admouere non horrebitis, pedicabo ego uos*, et in principio: *qui me putastis, pedicabo ego uos*.

*Ineptiae* non est, quod putat Thomson (1998), alia simpliciter uox pro *nugis*, ut poetis—et praecipue Catullo ipsi—dicere placet carmina sua. Vsus hoc uerbo Catullus tamquam haec: ‘sic scribo’ inquit ‘quia sic scribere iuuat, atque Graecos poetas etiam huiuscemodi carminibus imitari delectat; attamen ineptus est, qui putat me re uera illactenus esse impudicum, ut in carminibus uideor; quia lusus est, nec quicquam ultra’.

Sententia autem eorum uerborum, quae de 14b sumpta sunt, est ferme haec: ‘si qui forte uestrum, o lectores futuri, uiri scilicet, lectis meis ineptiis aliquando uoluerint admouere mihi lasciuam manum, sciant sese grauiter punitum iri, quia ego non sum is, qui ex carminibus meis appareo’. Iocum autem scurrilem, in quo est omne momentum carminis, doctis enarrare prorsus indignum est.

Distributio uersuum nunc est haec: 4 + 2 + 5 + 2 + 4. Longe aliter Thomson (1998): 4 + (4 + 3) + 3, qui fragmentum 14b ad carmen 16 pertinere non putat.

Restat quaestio, quomodo fieri potuerit, ut pars carminis sexti decimi in codicibus nostris peregre habitaret inter carmina 14 et 15. Tres nempe ii uersus a librario omissi uidentur, qui nouum exemplar carminum

<sup>1)</sup> Kokoszkiewicz 2004.

Catullianorum parabat. Hoc eo facilius fieri potuit, quod in certis generibus litterarum syllabae extremae *-atis* (ut in *marem putatis*) et *-obis* (ut in *admouere nobis*) sunt simillimae; satis est, ut *t* et *b* litterae minusculae eiusdem sint altitudinis, quod obseruatur exempli gratia in ductibus scripturae Merouingicae saeculi VIII. Postea corrector, qui errorem librarii aduertisset, eos tres uersus addidit a sinistra, in anteriore pagina aut textus columna, ubi copia spatii fuisset ad tres uersus ascribendos, prope finem carminis 14; aut, si interstitium fuerit (quae in codice O plerumque desunt), carminibus 14 et 15 tres eos uersus interposuit. Nota, si fuerit, quae eos tres uersus traici iubebat in locum proprium, conspecta intellectaue a posteris librariis uidelicet non est; hoc modo ei tres uersus transierunt ad locum, quem nunc occupant.

Si recte hoc coniectum sit, necesse est emendationem eam positam esse eo loco, quo a sinistra fuerit finis carminis quarti decimi, a dextra autem eo, ubi carmen 16, ut id libri habent, iam quoque uergeret ad finem. Itaque necesse est ultimum uersum carminis 14 eodem fere paginae uersu scriptum esse, quo scriptus erat paenultimus uersus carminis 16 in pagina (uel columna) altera. Ex quo colligitur unam paginam (uel columnam) circiter triginta et tres uersus in eo libro continuisse, aliter enim duo illi fines non conueniunt.<sup>2)</sup>

## 2. Obseruatiuncula in uersus 41.4 et 43.5, quorum uterque est 'decoctoris amica Formiani'

Hos duos uersus eandem speciem praebere iam dudum obseruatum est, sed neuter adhuc umquam, si scio, debebatur, ea nempe ratione, quod poetae interdum uersus semel compositos semel atque iterum reuocare solent, siue usus pristini memoria siue, quod item certissime fit, obliuione. Cum igitur Catullus, qui iterum de turpicula puella agit, unum uersiculum repetit, nil miramur; confer item uu. 2.1 et 3.4. Sed, ut iam

<sup>2)</sup> Itidem interpositis 31 uersibus et duobus interstitiis iterum in libris scripta sunt ea, quae uidemus apud 50.16-7. Confer item, quod Ullman (1910, 72) scripsit de titulo carminis 6 et 8. Vt testatur ille, locus uterque alter ab altero distat paginam unam, nos autem computatis uersibus uidemus eam 'unam paginam' constare ex uersibus triginta et interstitiis duobus, quod est totidem fere ac quod supra censuimus.

uidimus fragmentum 14b a loco suo uersus distare triginta et tres, placuit quoque numerare, quantum interesset inter hos duos. Nec puto te, lector, multum mirari, quod intersunt totidem: triginta et tres.

Hac re obseruata diiudicare tamen non ualeo ac ne audeo quidem, utrum casu sic, an consulto a Catullo factum sit, an librariorum lapsu. Mea sententia uersus, de quo agitur, magis conuenit cum carmine 41, sed ut supra dixi, quaestionem hanc, scilicet an alter uter deleatur, in medio relinquere nunc malim.

### 3. De fragmenti 58b ratione excidendi et item loco proprio

Vt iam supra expressi, equidem uix credo ea, quae ad nos ex antiquitate remotissima transmissa sint, esse Catulli inedita, ubi praeter carmina perfecta adumbrationes uersuum aliaque talia numquam absoluta inueniantur. Immo persuasum mihi est Catullum, ut omnes fere illius temporis poetas, qui nobis noti sint, opuscula sua et absoluisse et edenda curasse. Si ita est—quin sit non uideo—fragmenta 14b et 58b oportet sint rerum absolutarum particulae, quae nescio quam ob rem in locis suis non sunt. De tribus uersibus illis, qui 14b appellantur, iam supra disputatum est. Quotum autem ad carmen pertineat fragmentum 58b, ex ipso metro atque carminis argumento—amici scilicet inueniendi—facile cognoscitur.

Ne longior sim, mihi non est dubium, quin 58b sit pars carminis 55, quae eodem ipso modo atque uerisimiliter ab eodem quoque ipso librario omissa est, qui omiserat fragmentum 14b. Vtrumque enim tantundem abest a loco suo, id est circiter triginta tres uersus; cum tamen fragmentum 14b ascripsit corrector a sinistra, tum fragmentum 58b addidit a dextra. Quam ob rem hoc situm est post, illud ante carmen suum.

Antequam uersus illi, quos uiri docti numero 58b significauerunt, medio carmini 55 inserentur, considerandum est, quare factum sit, ut exciderint; quod primo quidem obtutu uidetur haud facile, cum textu utroque respecto causarum nulla, quibus librarii oculus falli solet, liquido apparet. Attamen in utroque textu eiusmodi res et est et monstrari potest, quo fit etiam, ut certus—si quid in hac disciplina certum est—indicetur locus, quo decem uersus exciderint seu quo reponantur.

Vt enim hi uersus omnino carmine exciderent, oportuit in eo exemplari, quod librarius ante oculos habuit, in uersu 58b.10 siue, ut infra

exaratum, 55.24 legi non *essem te mihi amice quaeritando*, sed potius, et quidem saluo numero, *essem te mihi quaeritando amice*. Patet tunc librarii oculum delapsum esse ex *amice* altero (55.14) in alterum (58b.10). Quod postea uidelicet a correctore, forsitan eodem, qui decem uersus omissos esse animaduertit, emendatum est sic, ut excidendi causa inuisibilis facta sit.

Sed te iam ferre Herculi labos est. Tanto ten fastu negas, amice?	
Non custos, si fingar ille Cretum, non Ladas ego pinnipesue Perseus, <sup>3)</sup>	15
non, si Pegaseo ferar uolatu, non Rhesi niueae citaeque bigae; adde huc plumipedas uolatilesque uentorumque simul require cursum,	20
quos iunctos Cameri mihi dicares, defessus tamen omnibus medullis et multis languoribus peresus essem te mihi, amice, quaeritando;	
Dic nobis, ubi sis futurus, ede, audacter committe, crede luci.	25

Sic iam Froelich et Schwabe, quorum tamen commentationes, pro dolor, inuenire nequii. Sed procul dubio, praeterquam quod de ratione scripturae supra dictum est, uersus decem fragmenti 58b, cum hoc loco positi seu repositi sint, bene conueniunt cum loco atque sententia. Quae est ferme haec: 'inuenire te est labor, qui uel Herculem superaret; iam sum hoc labore defessus, atque item defessus essem, etiamsi diuina prorsus ui inflatus fuisset; desino, quia uires deficiunt; dic mihi quaeso, ubi futurus sis, ut eum locum recta petam, quod te iam per totam urbem quaeritare nequeo, ubi autem sis, inops sum consilii'. *Dicares* est sane coniunctius concessius, inde *tamen* etc.

Scrupulus, qui me quidem male habet, est in uersu 17, ut supra. Quattuor iis uersibus (15-8) respectis nequit homo, quin aliquid ibi deesse suspicetur; uersu enim septimo decimo, qui est *non, si Pegaseo*

<sup>3)</sup> Coniecturam Mureti probo, qui fragmenti 58b uersum, ut in codicibus est, secundum (*non si Pegaseo...*) post uersum 3 (*non Ladas ego...*) collocauit.

*ferar uolatu*, lecto et circumspecto nemo, credo, erit, quin interroget “«non» quid?”. Nam cum in perihodo condicionali, ut scimus, debeant esse membra minimum duo: protasis seu propositum, et apodosis, hic tamen, cum in proposito nil dumtaxat deest, tota apodosis ex nulla re constare uidetur nisi ex solo eo ‘non’. Quod est parum.

Quam difficultatem soluendi gratia propono, ut loco uoculae *si* legatur *qui*, ad hunc modum:

Non custos, si fingar ille Cretum,	15
non Ladas ego pinnipesue Perseus,	
non, qui Pegaseo ferar uolatu,	
non Rhesi niueae citaeque bigae;	

Pronomen *qui* in libris manu scriptis aetatis mediae plerumque non omnibus litteris scribitur, sed litterarum notis. Harum nonnullae, ut est exempli gratia *γ* saculo octauo post Christum adhibita, et *s* littera (sit haec *l* uel *l*) perfacile confunduntur, quod hic, credo, librario accidit eo facilius, quod etiamtum memoria tenebat illud *non custos, si fingar ille Cretum* supra.

### 3b. De Talo et Lada

Ille, qui *custos Cretum* in 58b nominatur, Talos est, ‘gigas aerei corporis Europae a Ioue datus, ut custos esset Cretae insulae, quam singulis diebus circumnisse dicitur’, utpote scriptores Graeci narrant.<sup>4)</sup> Ladam autem Pausanias (Paus. 3.21.1) docet cursorem fuisse Spartiatam perniciosissimum, qui postquam Olympia uicisset statim ualetudine correptus et breui mortuus est. Inter alia, quae uiri docti reprehendunt, dictum est quaestionem eam, cur mentiones Tali et Ladae et Persei iuxta positae essent, minime facile solui posse, quod nec Ladas nec Perseus quicquam commune haberent cum Talo.<sup>5)</sup>

At non est, cur habeant, praeterquam quod nomina eorum sumpta sint de Graecorum scriptis. Quae nomina Catullus adhibet ea sola ratione,

<sup>4)</sup> Apollod. *Bibl.* 1.9.26; A.R. 4.1638-88; Simonides *PMG* 568; Eust. *Od.* 20.302.

<sup>5)</sup> Thomson 1998, 344: “Part of the trouble is that neither Ladas (the Spartan runner, who died at the moment of victory in the Olympic games, Paus. 3.21.1) nor Perseus—both of them fleet of foot—has much to do with Talos”.



ut poetice dicat sese *Camerium quaeritando fatigari*. ‘Etsi’ inquit ‘cui forte uidear (= *si fingar*), Talos tamen non sum, infatigabile monstrum, qui te quaesierim quoad capiam. Nec sum Ladas, cursorum pertinacissimus, qui currere uelim per totam urbem modo huc modo illuc usque ad mortem. Nec sum Perseus, qui iter tot milium passuum per aethera faciam tamquam auicula. Nec est mihi uis equorum; homo sum isque *te mihi amice quaeritando* iam defessus.’ Nil aliud est, quod eorum omnium mentio hic sibi uolt. De forma autem etiam infra disseritur.

#### 4. De ‘omnibus libellis’ in 55.4 stantibus

Vt patet ex carminis 55 principio, Catullus uaria loca urbis Romae adit,<sup>6)</sup> ut Camerium, amicum suum, inueniat. Quae sunt: porticus Pompei, templum Iouis Optimi Maximi, *circus*, quem plerique uiri docti putant esse Circum Maximum, *campus minor* alioquin ignotus, qui fortassean fuerit Campus Martialis; at denique a Catullo nominantur *omnes libelli*, quorum quaestionem nunc sum agiturus.

Oramus, si forte non molestum est,  
demonstres, ubi sint tuae tenebrae.  
Te in campo quaesiuius minore,  
te in circo, te †in omnibus libellis†,  
te in templo summi Iouis sacrato;

5

Qui essent isti libelli, iam dudum uiri docti explicare conati sunt. Item iam dudum uersus corruptus habetur atque ideo de coniecturis consideratum est, quibus textus sanaretur: siue *in omnibus tabernis*, quod iam codices humanistici editionesque habent, siue *in omnibus ligellis* (Guarinus), siue *in omnibus tabellis* (Scaliger), siue *in omnibus sacellis* (Goold, 1983) taliaque alia sunt proposita, quae tamen uariis rationibus plausibilia non habentur; cf. commentarium, quem peperit Thomson (1998) ad locum.

Quod denique ad *omnes libellos*—quicquid in hoc uerbo latet—attinet ipsos, ignoratur, cur Catullus, qui praeterea nominat loca singula, bene definita, frequentia, inter ea nominauerit generatim *omnes* istos

<sup>6)</sup> Sed confer, quod infra de pluratiuis disseritur.

nescio quos libellos. Item, cum iam loca nominasset definita eaque pauca, quae adire solus homo paucas horas possit in urbe uel maxima, cur tamen ex inopinato generatim nominarit res nescio quas *omnes*, quae quidem—siue sunt tabernae librariae, ut placuit Scaligero, siue tuguria pauperum, ut Guarino, siue sacella, ut Gooldio, siue cauponae, ut nescio quis alius uoluit—innumerae in urbe Roma tunc fuerint nec potuerit solus uno uel mense eas re uera uisere omnes? Ne multa, illud *omnibus*, cum positum est inter pauca nomina bene determinata, nimis hercle uidetur generale.

Praeterea exstat in hoc uersu, ut eum libri habent uetustissimi, delictum metri, quod coniecturarum, quarum mentionem supra fecimus, nulla sanat; quod autem delictum eum uersum etiam suspectiorem reddit. Cum enim oporteat illud *in omnibus libellis* incohetur producta, *in* tamen, quod uidemus in horum uerborum principio, est breue. Nisi admittamus hiatum atque syllabam antecedentem per eum hiatum corripri, metrum integrum non sit.

Equidem, ob difficultates supra adumbratas, uerba quae sunt *in omnibus libellis* credo esse corruptelam, in qua occultauit se uocabulum loci in urbe Roma aequae ac in ceteris unius atque definiti. Propositum meum est, ut pro illo *in omnibus libellis* legatur *in moenibus Cybebes*, atque ut textus talem praebeat speciem:

Oramus, si forte non molestum est,  
demonstres, ubi sint tuae tenebrae.  
Te in campo quaesiuius minore,  
te in circo, te in moenibus Cybebes,  
te in templo summi Iouis sacrato;

5

*Cybebe* est sane Cybele seu Magna Mater. Duo enim nomina sunt istius deae, quibus poetae promiscue utuntur pro metri scilicet necessitate: *Cybēle*, quod correptam in medio, et *Cybēbe*, quod ibidem productam continet. Cf. Serv. *A.* 10.220. Quorum hoc—uox *Cybebes* scilicet—multo rarius offenditur illo, atque sic uolgo in libris deprauatur, ut obseruatum est in carmine 63 uersu duodecimo (63.12 *cibelles nemora* O), uicesimo (63.20 *domum cibelles* O), tricesimo quinto (63.35 idem ibidem), duodeseptuagesimo (63.68 *cibellos*—sic!—*famula* O), in codicibus Vergilii (Verg. *A.* 10.220, *nymphae quas alma cybele* MSS.; cf. Serv. *A.* ad loc.) et passim. Codicem ergo V, aut librum nescio quem eo

codice paulo antiquiorem, credo hoc loco continuisse uerba haec: *in menibus cibelles*, quae per notas illa aetate solitas contracta sunt, ut fieret *imēibz cibellŝ*. Quod librarius ut uidit, omissa contractione, quae significata erat per lineolam positam super *in* praepositionem, atque tritis remotorum loco acceptis intellexit totum ut *inōibz libellŝ* (quod est *in omnibus libellis*).

Lectio *in moenibus Cybebes* recepta hiatum, de quo supra disserebatur, euanescere haud est praetereundum.

Quod autem attinet ad *moenia*, ut docet Seruius (Serv. *A.* 11.567), ‘proprie moenia sunt tantum muri’, ad urbem scilicet defendendam protegendamque structi. ‘Sciendum autem’ inquit ‘*moenia* abusiue dici omnia aedificia publica, ut *diuidimus muros et moenia pandimus urbis*’ (Verg. *A.* 2.234). Sic plerique scriptores Latini, qui hoc uocabulum usurpant, cum dicere uolunt aut urbis muros, aut aedificia muris circumdata, aut denique urbem ipsam, ut apud Horatium in *Epodis* (Hor. *Epod.* 1.30) *Circaea moenia* significant Tusculum, uel apud Vergilium (Verg. *A.* 6.540-2):

hic locus est partis ubi se uia findit in ambas,                    540  
 dextera quae Ditis magni sub moenia tendit,  
 hac iter Elysium nobis.

a quo *Ditis moenia* appellantur tamquam caput et urbs totius inferni.

Alio sensu *moenia* positum raro. Cicero in oratione, quam scripsit in Verrem (Cic. *Ver.* 2.5.76), dicit *moenia domi*, cum significare uolt eum, piratam scilicet, qui domi retineretur, hostem esse infestissimum, quem unaquaque domus timeat oporteat eodem fere modo ac urbs alienigenam exercitum. Lucretius autem (Lucretius. 4.81-2) *moenia theatri* appellat, ut caueam significet, siue eam theatri partem, qua circumdatur scaena et in qua populus sedet, cum spectaculum intuetur. Stautius denique (Stat. *Silv.* 3.1.16) *moenia* pro parietibus templi posuit.

Apud Catullum *moenia Cybebes* significant templum Magnae Matris, quod fuit in Palatio. Quo in templo ritus et habitum sacerdotum uideris tanto a Romana consuetudine distantem, ut in alia, peregrina prorsus urbe esse tibi uidearis. Qua de re Vermaseren (1977, 96) talia scripsit:

The Romans had brought their ancestral Goddess to the new country and provided her with proper accommodation, only then to discover how widely

and profoundly their own attitude differed from the Asian mentality. They were shocked by the Eastern rites, with their loud ululations and wild dances (...). Consequently the *pontifex maximus confined the rites to the precincts of the temple on the Palatine*, apart from processions and the public games, the Megalesia. Furthermore Cybele was to be served only by oriental priests.

Et inde *moenia*, tamquam Cybeles oppidum in Asia potius quam Romae situm.

Praeterea *moenia* Graece dicuntur περίβολος (uide *TLL* s.v. *moenia*), quod uocabulum muros quidem τῆς πόλεως, sed etiam omnem locum saeptis inclusum significat, ubi in medio est aliquid aedificii, siue domus (Plato, *Tht.* 197c8: ἐν οἰκείῳ περιβόλῳ) siue templum (Plu. *RQ* 90). Quam ad significationem Catullus fortassean alluserit. Nec praetereunda est in sequenti uersu mentio templi Iouis Optimi Maximi in Capitolio—Catullus e monte in montem iter facit et oculum applicat in templa frequentiora.

### 5. 55.11: *quaedam inquit nudum reduc*

In Magni simul ambulatione  
femellas omnes, amice, prendi,  
quas uoltu uidi tamen serenas,  
†auelte sic ipse flagitabam†

“Camerium mihi, pessimae puellae!”

10

†Quaedam inquit nudum reduc†

“En hic in roseis latet papillis!”

Salutem utriusque uersus uiri docti adhuc frustra moliti sunt. Multa proposita sunt, quae enumerare longum est<sup>7)</sup> eaque ne longior sim, praeteribo. Animaduertendum est tamen duos uersus tam grauiter corruptos esse etiam proxime positos, quod significare uidetur grauiter hoc loco mutilatam esse cartam ipsam.

Vndecimus habetur in hoc carmine pro uersu corruptissimo. Extrema desunt, ut in nonnullis aliis locis obseruatur (6.13 *panda* V, ubi legere malim *pandat*; 8.9 *impote* V, ubi legimus *impotens noli*; 55.8 *serena* V,

<sup>7)</sup> Confer commentarios ad locum, quos dedit Thomson (1998) atque Harrison et Heyworth (1998).

legimus *serenas*; 112.1 *homo* V, legimus *homo est qui et cetera*). Desunt quoque aliqua in medio, *inquit* enim uix potest stare sic ut hic stare uideatur, in medio textu, nullo uerbo appposito, quod ex cuiusquam ore referatur. Accedit, quod libri manu scripti pro *quedam* habent *quendam*, quod accipitur factum esse confusione notarum in marginibus factarum, quae pertinuerint ad uersum sequentem, ubi libri manu scripti habent *em*.

Equidem censeo confusionem illam fuisse etiam ampliorem atque confusas esse notas correctorum non solum ad uersum sequentem, sed etiam complures eas, quae pertinebant ad uersum undecimum ipsum. Propositum meum est, ut sic legatur:

Quaedam “En, en” inquit sinum reducens  
“en hic in roseis latet papillis!”

Tria ea *en* (etiam in uerbo quod est *reducens*, ubi *en* excidit, extrema autem littera omnino deest, inde *reduc*) uidelicet omissa sunt, postea autem, cum a correctore addita essent, librarius tamen quidam notas eius cum non intellexisset, perperam in nouo exemplari corrigenda distribuit. Inde *quendam* et inde *nudum*; sciendum autem *n* et *d* litteras—ut *sinum* et *nudum*—facile in scriptura saeculi XII confundi posse (sic iam Goold (1983), qui *sinum* pro *nudum* posuit; cf. 55.4, ubi libri habent *te idcirco* pro *te in circo*). Versus autem non iam uidetur tam corruptus, quam primo obtutu uisus est, cum norimus non plura deesse, quam tres forte *e* litterae cum tribus supra positis lineolis.

### 6. 55.9: *auelte sic ipse flagitabam*

In Magni simul ambulatione  
femellas omnes, amice, prendi,  
quas uoltu uidi tamen serenas,  
†auelte sic ipse flagitabam†  
“Camerium mihi, pessimae puellae!”

10

Quaedam “En, en” inquit sinum reducens  
“En hic in roseis latet papillis!”

In uersu nono, ut suspicor, carta, ut supra diximus, tantopere mutilata erat, ut librarius nihil fere praeter syllabas extremas legere potuerit.

Reddidit ergo tantum in nouo exemplari litteras, quas ibi uidebat scriptas; attamen cum partim tantum recte eas dinoscere posset, magnam partem perperam transcripsit. Potest item esse, quod Foster (1971) suspicatus est, scilicet in principio noni nihil omnino remansisse, id autem, quod libri manu scripti habent, nihil esse nisi uariam quandam lectionem aut corruptelam uerborum *quas uoltu* ex uersu superiore delapsam.

Quod est cur uiri docti frustra illud *auelte* emendare conantur, hoc enim uix, mea quidem sententia, simile est uerbo, quod Catullus hic posuerat. Ceterum ea quoque, quae sana habentur—id est illud *sic ipse flagitabam*—suspecta sunt, cur enim dixerit Catullus in hoc contextu sese flagitasse ipsum (*sic ipse flagitabam*)? Emendationes huiusce loci uariae propositae sunt, quarum maxime probatur *usque*; cf. Foster 1971. Verumtamen, cum respicitur scriptura, aliquatenus incredibile uidetur librarium posuisse *īpe* (= ipse), cum uidisset *usq̄* (= usque).

Equidem etiam in extremo uersu corruptelam esse credo, nec Catullum scripsisse *sic ipse flagitabam*, sed potius *sic reflagitabam*, sic ut ei praeterea mos est (cf. 42.6 et 42.10). Illud autem *ipse* nihil est, nisi phantasma ex litterarum reliquiis ortum, praecipue ex *re-*, id est ex prima syllaba uerbi, quod est *reflagitabam*; quam *re-* praepositionem perperam diuisis uerbis et litteris librarius interpretatus est uidelicet tamquam si fuerit *-se* (*r* et *s* litterae in certis generibus scripturae, exempli gratia in ea, quae semiuncialis dicitur, et in cursiua recentiore et item aliis, sunt simillimae) uel *-pse* uel *-pe* (*ipe* = ipse) pertinens ad uerbum, quod antecesserat. Id eo facilius fieri potuerit, quod uerbum illud, quod est reflagitare, praeterquam in libro Catulli, apparet nusquam gentium.

Quale autem uerbum in principio fuerit, ex eo *reflagitabam* colligi potest id fuisse, quod significabat aut Catullum aliquid postulare, uerbi gratia uoce, quae significet ‘reddite’ (ut uidere est in uersibus 42.10-1: *reflagitate: “moecha putida, redde codicillos”*), aut femellas accusare ‘furti’. Hac ratione Foster (1971) subiecit *reddatis*, Camps (1973) *a cete huc*, Goold (1983) *aufertis*, alii alia, cf. Harrison 1998.

Sed qualiscumque postulatio, quam Catullus uerbo reddendi usus exprimeret, parum conueniret, mea quidem sententia, cum femellae responsione: *en hic in roseis latet papillis*. Femella sic non dixerit, id est uerba *hic latet* non usurparit, nisi Catullus fecerit mentionem alicuius latibuli uel ad aliquod latibulum alluserit. Hinc ueniunt in mentem solutiones duae:

(i) *occultastis*, quod magis conuenit cum uerbis puellae *en hic latet*; aut  
 (ii) *abstulistis* (id est, *furatae estis et*, quod subest, *abscondidistis*), quod  
 magis primo quidem obtutu conuenit cum reflagitandi uerbo, quod a  
 Catullo usurpatum esse credo.

Si legere malimus *abstulistis*, haud praetereunda sit similitudo huiusce loci et 3.15, ubi legimus *tam bellum mihi passerem abstulistis*. Sed *abstulistis* hic ponere non conuenit metro: secunda enim syllaba est breuis (*abstūlistis*), cum in omnibus ceteris huiusce carminis uersibus secunda syllaba est semper longa.

In Magni simul ambulatione  
 femellas omnes, amice, prendi,  
 quas uoltu uidi tamen serenas,  
 “Occultastis”—sic reflagitabam—  
 “Camerium mihi, pessimae puellae!” 10  
 Quaedam “En, en,” inquit sinum reducens  
 “en hic in roseis latet papillis!”

Id quod in codicibus uidemus, illud *auelte-sic-ipse*, est id, quod librarius uidit, cum euanidum et paene oblitteratum *occulta-stīss-icre* ante oculos haberet. Hanc etiam ob rem praestat legere *occultastis* magis quam *abstulistis*, illud enim asseruatae scripturae librorum procul dubio est multo similium. ‘Occultare aliquem alicui’ est proba Latinitas, ut testatur Plautus, qui sic scripsit (Pl. *Trin.* 627): *noli auorsari neque te occultastis mihi*.

## 7. De lacteolis puellis

Nunc te lacteolae tenent puellae  
 si linguam clauso tenens in ore,  
 fructus proicies amoris omnes.

Sic codex V; recte autem improbatur ab iis, qui carmina Catulli emitenda curant, inspecto enim textu rem saltem unam hic deesse apparet, id est praedicatum in conditionalis perihodi proposito. Hanc ob rem illud *tenens* emendatur uolgo et legitur *tenes*. Item quod in libris est *nunc*, Schwabe (1886) legit *num*, alii alia.

Hic est scrupulus, cur nempe Catullus interroget, quod a carminis fere initio omnibus bene notum est idque adhibita ea particula, quae est *num*. Sed ne *nunc* quidem omnino placet, quod eo seruato tota sententia coniungitur per parataxin, cum, ut constat, Latini generatim malunt hypotaxin. Abest igitur ea iunctura a communi consuetudine; quod cum per se nihil est mirum, attamen non solum hoc displicet, uerum etiam simul efficitur, ut uersus, qui est *nunc te lacteolae tenent puellae*, stet in textu solus tamquam toto carmine separatus nec clare coniungatur cum eo, quod est supra, nec cum eo, quod est infra.

Hanc ob rem proponere uelim textus codicis V emendationem nouam, quae nititur in alia librorum lectione seruata, nempe in eo *tenens*:

Cum te lacteolae tenent puellae,  
 sic linguam clauso tenens in ore  
 fructus proicies amoris omnes;

Si recte hoc, corruptela orta est ex eo *cum*, quod procul dubio scriptum erat per notam *cū*. Hoc imprimis sic deprauatum sit oportet, ut fieret *nū* (quod est *num*). Sed *num*, ut uidimus, sensum huiusce loci reddit deteriorem, itaque aliquem puto lectionem eam emendasse addendo *c* litteram, ut fieret *nūc* (quod est *nunc*). Hoc eo facilius fieri potuit, quod *c* littera potuerit usque circum uel supra inibi esse, scilicet ut indicaret uariam lectionem *cum*.

Quod autem attinet ad uersum inferiorem, duo uariae lectiones oportet fuerint, altera *si . . . tenes*, altera *sic . . . tenens*, ex quibus librarius, ut crebro accidit, unam eam fecit sensu carentem, quam in libris uidemus, aliis etiam forte rebus, quas in textu uiderat, inductus, quarum ad nostrum tempus ne uestigia quidem remanserunt.

## 8. De ‘participe amoris’

Vel, si uis, licet obseres palatum,  
 dum uestri (ūri V) sis particeps amoris.

Hoc codex V, quod subabsurdum est, Camerius enim, quem, ut constat, *lacteolae tenent puellae*, utique est *particeps amoris*, siue id Catullo



placet seu non. Hanc ob rem Auantius proposuit legere *uestri sim* inductus etiam, credo, uersibus 6.15-7. At nulla est hic et illic loci similitudo, nam dicere ‘taceas licet, dum sim particeps amoris uestri’ indomitae et parum urbanae est curiositatis, cuius rei suspectum Catullum equidem non habeo. Nimirum in fine carminis sexti Catullus persuadet amico, ut sibi narret, quid agatur, neque ut se admittat spectatorem—tale enim propositum non nisi mera esset rusticitas.

Cum aduersus Rossbergii *ueri sis* pugnat librorum scriptura, equidem nunc defendere uelim id quod in libris recentioribus legitur; hoc est:

Vel, si uis, licet obseres palatum,  
dum nostri sis particeps amoris.

Sane *nostri* (ñri) in scriptura nihil fere distat a *uestri* (ūri), quod habent codices uetustissimi, et ceteroquin persaepe alterum pro altero ponitur, ut passim in Catulli libello obseruatur (e.g. 26.1: *uillula uestra* O, *uillula nostra* GR; 39.20 *iste noster* O, *iste uester* GR; 58.1 *Lesbia nostra* R<sup>3</sup>, *Lesbia uestra* OGR, etc.). Sed enim hoc emendato praecipua tamen, censeo, confusionis causa remanet, quod *nostri* intellegitur uolgo ut genetiuis singularis pronominis possessiui, quod est *noster*, tamquam si id, de quo hic narretur, sit *amor noster*, ut uidere etiam est in carmine 109.

Ego non idem sentio: hic non *amor noster*, sed *amor nostri*, ubi *nostri* est genetiuis obiectiuus e personali pronomine *nos* profectus. Praeterea pluratiuum, censeo, propria significatione numeri usurpatur nec solum Catullum indicat—tamquam si uox *nostri* per translationem esset posita pro numero singulari *mei*—immo potius amicorum societatem, cuius *participes* sunt, praeter alios, Catullus cum Camerio.

Ceteroquin de pluratiuis, quae sunt in carminis principio, idem sentio: *oramus* et *quaesiui* pertinere mihi uidentur ad id, quod complures amici faciunt, qui scire uelint, ubi sese Camerius occultauerit; cetera autem pars carminis narrat, quid in eo complurium opere agat Catullus solus. Si recte hoc, non est, ut quinque uersus in carminis principio necessario describant, quod faciat Catullus ipse; relinquitur, ut itinera a quibusdam ex quinque principibus uersibus coniecta descriptaque ab alio urbis Romae loco ad alium sensu omnino careant, scilicet quia loca, quorum mentio fit, a compluribus hominibus non particulatim, sed simul et eodem ferme tempore adiri possunt.

Ne longe abeam, Catullus iis uerbis ‘fac’ inquit ‘quod uis, dum amor nostri te teneat’, id est ferme, ‘dum maneat particeps circuli, qui amicitia et sodalitate tam intima, ut fraternum fere amorem dixeris, coniunctus est’. De tali uocis usu, cum amor ponitur pro intima amicitia, confer Ciceronis epistulas ad Atticum, ubi libro primo (Cic. *Att.* 1.13.5) ‘in illam’ inquit ‘orationem Metellinam addidi quaedam; liber tibi mittetur, quoniam te amor nostri φιλορήτορα reddidit’.

### 9. De orationis concinnitate atque item pauca de metro

Inter difficultates, quibus hoc carmen scaturit, enumerant uiri docti orationis inconcinnitatem, quae cum maxime in fragmento 58b reprehenditur; offenduntur enim procul dubio inibi aliqua nec tam concinna nec modulata, quam ex ‘Catullo elegantissimo poetarum’ expectaueris, exempli gratia illud *non Rhesi niueae citaeque bigae*. Quam ob rem non desunt, qui 58b censeant esse fragmentum non carminis 55, sed alterius cuiusdam eiusque numquam a Catullo absoluti. Sic e.g. Thomson (1998).

Quoniam, ut iam supra scripsi, mihi persuasum est opus totum, quod habemus, esse a Catullo absolutum, quaestio soluenda ponitur, cur oratio poetae alioquin tanto ingenio praediti sit hoc loco tam incompta. Vt iam carminibus imperfectis missionem dedimus, nihil restat, nisi quod orationis inconcinnitatem tribuamus aut librariis, qui cum exemplaria noua facerent, uerba poetae mendis et litterarum delictis deprauarint, aut Catullo ipsi, qui consulto fecerit.

Sane futurum esse potest, ut noua librariorum menda aliquando a philologo quodam demonstrantur; sed rebus sic ut hodie sunt stantibus, mea quidem sententia, ea hic omnia consulto facta uidentur. Consulto nempe Catullus sic uerba composuit, ut carminis modulus quam maxime conueniret cum re, quae narraretur. Cum autem hic Catullus narretur magnopere per urbem cucurrisse atque uehementer amicum hic illic quaesisse, ut tandem defessus esset—nimirum carminis modulus imitatur modum loquendi hominis uiribus longissimo cursu exhaustis, cuius oratio intermittitur magnis haustibus aeris et crebro anhelitu. Hoc incipit in uersu 15 et pertinet usque ad u. 26, nec praetereundum est in uersus eum orationis anhelitum, ut in homine uires post cursum colligenti, mitigari et gradatim requiescere. Quod est quid a uersu 15

ad 26 sententiae fiant magis magisque comptae et concinnae, oratio autem fluens.

Emendatis secundum proposita uersibus 4 et 9 et 11 carmen totum constare uidemus ex hendecasyllabis sedecim et sedecim item decasyllabis; at metra tamen alternis uersibus, quod Heyworth (1998) et alii uoluerunt, non permutantur.

## 10. Carmen 55 secundum proposita emendatum

Oramus, si forte non molestum est,  
 demonstres, ubi sint tuae tenebrae.  
 Te in campo quaesiuius minore,  
 te in circo, te in moenibus Cybebes,  
 te in templo summi Iouis sacrato; 5  
 In Magni simul ambulatione  
 femellas omnes, amice, prendi,  
 quas uoltu uidi tamen serenas,  
 "Occultastis"—sic reflagitabam—  
 "Camerium mihi, pessimae puellae!" 10  
 Quaedam "En, en," inquit sinum reducens  
 "en hic in roseis latet papillis!"  
 Sed te iam ferre Herculi labos est;  
 tanto ten fastu negas, amice?  
 Non custos, si fingar ille Cretum, 15  
 non Ladas ego pinnipesue Perseus,  
 non qui Pegaseo ferar uolatu,  
 non Rhesi niueae citaeque bigae;  
 adde huc plumipedas uolatilesque  
 uentorumque simul require cursum, 20  
 quos iunctos Cameri mihi dicares,  
 defessus tamen omnibus medullis  
 et multis languoribus peresus  
 essem te mihi, amice, quaeritando.  
 Dic nobis, ubi sis futurus, ede, 25  
 audacter committe, crede luci.  
 Cum te lacteolae tenent puellae,  
 sic linguam clauso tenens in ore

fructus proicies amoris omnes—  
 uerbosa gaudet Venus loquela. 30  
 Vel, si uis, licet obseres palatum,  
 dum nostri sis particeps amoris.

## Bibliographia

- Auantius, H.* 1502. *C. Valerius Catullus (Verona)*
- Camps, W.A.* 1973. *Critical and Exegetical Notes, AJP* 94, 131-2
- Foster, J.* 1971. *Catullus 55.9-12, CQ* 21, 186-7
- Frank, T.* 1927. *On Some Fragments of Catullus, CP* 22, 413-4
- Goold, G.P.* 1983. *Catullus (London)*
- Harrison, S.J., Heyworth, S.J.* 1998. *Notes on the Text and Interpretation of Catullus, PCPhS* 44, 85-109
- Kokoszkiewicz, K.M.* 2004. *Et futura panda siue de Catulli carmine sexto corrigendo, Hermes* 132, 125-8
- Oksala, P.* 1965. *Adnotationes criticae ad Catulli carmina (Helsinki)*
- Richardson Jr., L.* 1980. *Two Topographical Notes, AJP* 101, 53-5
- Schwabe, L.* 1886. *Catulli Veronensis liber ad optimos codices denuo collatos (Berlin)*
- Thomson, D.F.S.* 1998. *Catullus (Toronto)*
- Ullman, B.L.* 1910. *Hieremias de Montagnone and His Citations from Catullus, CP* 5, 66-82
- Vermaseren, M.J.* 1977. *Cybele and Attis: The Myth and The Cult (London)*
- Wiseman, T.P.* 1976. *Camerius, BICS* 23, 15-7